

pura natura, sed etiam dona Divina gratiæ illo vocabulo designari.

XXVI. Antequam Pontifex de aliqua re, quæ proponitur definienda, iudicium ferat, serio, inquit, & diligentissime sive per se, sive per suos Theologos assessores examinare consuevit, an articulus definiendus sit conformis illis duobus principiis sacra Scripturæ, & traditionis, an concordet cum doctrina Ecclesiæ, & Sanctorum; & tunc tuto, & securus procedet, poteritque ex cathedra pronuntiare decretum. At *Mysterium immaculati Conceptus Mariæ*, quamquam hoc æsque sit habitum tamquam pium, laudabile, & religiosum, numquam tamen post tot seculorum cursum fuit approbatum tamquam conforme Scripturæ, & traditioni: ideoque Pontifices omnes, & Concilia hoc usque definitionem continuerant, ne illorum infallibilitas dubietati succumberet, & in controversiam veniret. Quare dicendum, definitionem facere non expedire Pontifici, eo vel maxime hisce miserrimis temporibus, in quibus heterodoxi omnes, & Theologi suspectæ doctrinæ continuo hanc auctoritatem pulsant, & tamquam scopum ad sagittam exponunt.

Vides hic denuo, non Catholicum hominem juris, & æqui studiosum, sed astutum politicum, qui Pontifici Maximo persuadere conatur, non esse faciendum periculum auctoritatis: non enim defuturos, qui eam oppugnent, si piam sententiam definiert. Sed, quod est flagitiosius, Conciliorum, ac Pontificum mentem divinando interpretatur, cum ita disserit, Pontifices omnes, & Concilia definitione superfedisse, ne illorum infallibilitas dubietati succumberet. Hanc ne mentem illorum, & consilium fuisse, fas est cogitare? Quorsum enim objectum celebritatis indicassent? quorsum festum solemne instituisent, si veriti essent hæreticorum criminationes, atque ludibria? Quippe hæretici hoc etiam nomine rident Ecclesiam Romanam, quod instituerit festum solemne Conceptionis Mariæ. Atque Clemens XI. nihil non ab eorum temeritate sibi expectandum jamdju animo providebat: